

## DECRETUM

Expletis Canonizationis solemnibus beatorum Septem Fundatorum ordinis Servorum beatæ Mariæ Virginis, Reverendissimus Pater Andreas Corrado, Causæ Postulator, novum Officium et Missam propriam nec non Elogium pro Martyrologio in honorem eorundem Sanctorum concinnandum curavit, quæ Sacrorum Rituum Congregationis approbationi de more subiecit. Hæc quum Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi, ejusdem Causæ Ponens, in ordinariis ipsius Sacræ Rituum Congregationis Constitiis die 28 Julii 1888 ad Vaticanum habitis retulerit; Eminentissimi et Reverendissimi Patres, omnibus rite perpensis, auditoque R. P. D. Augustino Caprara, sanctæ Fidei Promotore, rescribere rati sunt: *Pro gratia, cum extensione Festi ad totam Ecclesiam, et ad Eminentissimum Ponentem cum Promotore Fidei*. Hinc juxta mentem ipsius Sacræ Congregationis a præfato Eminentissimo Ponente una cum sanctæ Fidei Promotore propositi Officii Missæ atque Elogii revisione et correctione peracta, Sacra eadem Congregatio ea uti in superiori exemplari prostant approbavit.

De his, postmodum per infrascriptum Secretarium facta Sanctissimæ Domino Nostro Leoni Papæ XIII. fideli relatione, Sanctitas Sua mandavit ut Calendario universali Ecclesiæ sub ritu duplici minori inscribatur die 11 Februarii Festum prædictorum sanctorum Confessorum Septem Fundatorum ordinis Servorum beatæ Mariæ Virginis cum Officio et Missa et Elogio uti supra approbatis: servatis Rubricis.

Die 20 Decembris 1888.

A. Card. BIANCHI S. R. C. Præfect.

L. † S.

LAURENTIUS SALVATI S. R. C. Secret.

Concordat cum originali.

Marianopoli, die 25 Octobris 1889.

† EDUARDUS CAR. ARCHIEPISC. MARIANOP.